IHS

I

Petrus Beckx

Praepositus

Societati Jesu Universae

Omnibus et singulis

ad quos

Praesentes Literae pervenerint

MAIORIBUS

Debitam reverentiam

Ceteris

Salutem in Domino sempiternam.

Jampridem Julius Papa III et Pius Papa IV Sancto Ignatio Societati Jesu

Conditori et Praeposito Generali nec non ceteris eius Successoribus hoc ius tribuerant, ut secundum institutum Pontificiarum aliarumque Catholicarum Academiarum gradus honoris et dignitatis Romae illis omnibus impertiri possent, qui cum peculiari laude Theologicarum vel Philosophicarum Disciplinarum cursum, quem vocant, sub Doctorum nostrorum disciplina confecissent. Post hos Pontifices benemerentissimos Gregorius Papa XIII Romanum hoc Collegium, quod et Gregorianum idcirco appellatur Societati nostrae a fundamentis extruxit, quo in opere id sibi Pontifex sapientissimus proposuit ut non modo heic Societatis nostrae Alumni idonei fingerentur ad **Divinam Gloriam** ubique

terrarum propagandam verum etiam ut Romana Iuventus ad Religionem et Bonas Artes instituerentur, et Adolescentes illi qui ad germanam Sapientiam sibi comparandam undique in Urbem conveniunt Catholicae Religionis dogmata et disciplinam heic prius perdiscerent, dein per varias, qua patet Orbis, regiones, et docerent verbis et exemplo moribusque confirmarent. Id autem ut ex ceterarum Christiani Orbis Academiarum consuetudine rectius faciliusque ad exitum optatum perduceretur, atque singularia cuiuscumque Adolescentis promerita singulari praemio honestarentur, edidit hac de re Apostolicam Constitutionem die VII Maii MDLXXVIII et eam facultatem, quam

supra memoravimus quaque per lau=
datos Pontifices iamdiu utabamur, no=
bis instauravit et confirmavit. Demum
Leo Papa XII qui Societatem nostram in
Romanum Collegium reduxit, literis die
XVII Maii MDCCCXXIV datis eandem fa
cultatem et ratam habuit et Pontificia
Auctoritate sanxit.

Itaque cum P. Valerianus Cardella
Collegii Romani Moderator ad diem
XVIII Augusti in aulam eiusdem Colle=
gii PP. Joannem Bapt. Franzelin = Do=
minicum Palmieri = Pium Mar=
garucci = Antonium Ballerini
Facultatis Theologicae Doctores con=
vocasset eosque rogasset ut novo expe
rimento tentarent an R. D. Stephanus
Pawlicki post absolutum Universae
Theologiae cursum, totam hanc di=

sciplinam ita calleret ut ad **Doctoratus** in hac Theologica Facultate gradum posset promoveri: quum denique i=dem R.D. Stephanus Pawlicki propo=sitis interrogationibus congruenter re=sponderit obiectasque difficultates apte enodaverit, rogati sententiam praesen=tes omnes Facultatis Theologicae Docto=res ita censuerunt.

Quandoquidem R.D. Stephanus Pawlicki per plures annos lucutentissi=ma probitatis virtutisque christianae testimonia praebuit, et tum scripta de re theologica dissertatione tum pecu=liari ad id instituto periculo sese theo=logicarum disciplinarum peritum ostendit, placere universis ut ob eam qua praeditus est integritatem atque doctrinam ad **Doctoratus** in Theo=

logica Facultate gradum promove-
atur.

Quapropter emissa Fidei profes-
sione idem R.D. Stephanus Pawlicki
gravissimo se obstrinxit iuramento
ad Ecclesiae Catholicae dogmata ubique
ac semper tuenda ac confirmanda. Nos
vero Auctoritate Pontificia utentes **A.M.
D.G.** eundem R.D. Stephanum Paw-
licki **Doctorem** sive **Magistrum** in
Theologica Facultate declaravimus, po-
testatemque ipsi fecimus ut omni iure
omnibusque gradus ordinisque sui
insignibus et privilegiis et auctorita-
te utatur.

Hortamur tamen virum clarissi-
mum R.D. Stephanum Pawlicki ut
ius theologiae ubique gentium tra-
dendae, quod inter ceteras auctoritates

illi nunc potissimum accedit, non adhi=
beat, quoad eius fieri potest nisi de
illorum quorum interest adsensu ac
voluntate. Doctrinam vero quam est
adeptus sapienter et fortiter convertat
ad eas Potestates tuendas et confirman=
das quas **Deus Optimus Maximus**
rei tum christianae tum publicae regen=
dae praefecit.

Datum in Urbe die XX Augusti

MDCCCLXXIII.

Petrus Beckx

Torquatus Armellini S. J. a secr.

Valerianus Cardella S. J.
Rector Collegii Romani

Jo. Perrone S. J.
Stud.rum Praef.us

IV

IHS